DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. JACOBO GOURLEZ DE LA MOTTE, Doctore Medico, Præside.

An generalibus à physicis legibus, quibus humanum ordinari corpus observatum est, natura quandòque discedere valeat?

I.



LEGES physicæ, rationes sunt summæ à naturâ insitæ, quæ facienda jubent, prohibentque contraria, ad bonum impellentes; à malo removentes. Cum rationes illæ, vel hæc decreta, nihil aliud sint quam rerum cohærentia, sive (ut aiunt) *relationes*; cum earumdem quoque rerum relationes nonnunquam mutare valeat natura, novasque producere, quæ rarissimæ, nobis idcircò quasi exoticæ videntur; binas propterea legum physicarum distinximus species. Priores consuetæ, dicuntur generales: insuetæ verò posteriores, singulares nuncupantur. Simplex utraque ac constans legum species, immutabilis utraque, utraque naturalis, summum naturæ ordinem, ordinem universum servat. Naturam hominis credimus, esse omnium aggregatum, quibus homo formatur, vivit, nascitur, crescit, decrescit, & denique moritur. Hanc tanquam tutorem liberis, aut subjectis reginam adscripsit Numen supremum. Illos cum integritate, cum utilitate, alloquitur natura; unde mellea eloquia, mandata fixa, leges invariabiles.

II.

LEX physica seu naturalis prima est respirare: urinam & fæces excernere secunda: trahere alimentum tertia: somno indulgere quarta: augeri quinta: sibi similem procreare sexta: denique lex naturalis septima sexum tantum-modò femininum attingit. Huic prolem intra uterum, novem continuis mensibus, gestare mandat. Quo tempore circiter elapso, fetum edere decernit capite integro, dentibus tamen capillisque destituto, cum duobus oculis & naso, cum brachiis, femoribus, cruribusque geminis; in pedibus, manibusque singulis cum digitis quinque, cum masculinis, femininisve partibus, cum linguâ, corde, pulmonibus binis, ventriculo, hepate, cystide felleâ, liene, tribus intestinis gracilibus, & totidem crassis, duobus renibus, & totidem ureteribus, vesicâ, &c. &c. en leges septem maximè generales quas homini, toto vitæ curriculo, natura constituit. Quâ autem serie, quonam mechanismo, respiratio, fæcum & urinæ excretio, fluxus, somnus, accretio, generatio, fetûsque formatio, exerceantur, septem demùm illæ leges observentur, docent & disputant inter se physiologi. Hæc itaque, ubivis obvia silentio prætermittemus, omnique amotâ theoriâ, solâ freti experientiâ, inquirere properamus, an à legibus suis generalibus natura quandòque discedat?

III.

CONTRA & priscorum, & fere omnium neotericorum sententiam, dicemus cum Diemerbroekio, per minuta plura, per horas, per dies, quandòque per hebdomades, & forsan per menses, per annos, hominem sine respira-

tione posse vivere. Istud fieri nequire, absque Halleianâ campanâ, vel Telliamedeâ laternâ, vel Drebbelliano vase, si contendas; præsto sunt urinatores Indici qui margaritas, gorgonias, & spongias in maris, & fluminum profundissimorum fundo quærentes, plerumque per semi-horam, aut diutius sub aquis commorari queunt, neque campanâ, nec laternâ, nec ullo vase firmantur. Sub undis resident urinatores Europæi, & tanquam aere libero, plenoque insident. Avunculo nostro servum quemdam novimus, qui, licet arte natatorum, & urinatorum careret, ad perpendiculum, fluvii fundum petebat, ibique, donec pisces grandiores & multos manu captasset, morabatur. Quot homines in aquas delapsi, mortui jam ab omnibus clamati, post continuam plurium etiam dierum submersionem, vitâ tamen adhuc gaudentes reperti sunt? (Vide Misc. Cur. Germ. Diaria cum Gall. tum extr. Biblioth. Cur. Medic.) Quot lethargici, nulla respirationis signa præbentes, sepulti fuere, qui postmodùm à sepulchri tenebris vivi prodierunt? (Vide Philippum Saln. Diomedem Corn. Levinum Lemn. Georgium pict. Paræum, Forestum, Hildanum, &c. &c.)

Ventrem, semel intra 24 horarum spatium, plerumque exoneramus. Nonnulli tamen longè diutius extant, fæcibus inquinati, neque ex iis minimum patiuntur incommodum. Sunt qui, per quinque, sex, septem, octo, aut quandòque novem & ultra dies, non excernunt. Cum essem juvenis (ait. Brassav. c. 6. t. de Med. purg.) nonnunquam per spatium novem, vel etiam duodecim dierum, non excrevi .... non ægrotabam, imòquidem prosperâ gaudens valetudine, quotidiè equitabam. Multos novimus rectè sanos, qui, ventrem non nisi septimâ circiter die exonerant. Quot verò & quoties mulieribus gravidis accidit, ut his dura, pigraque moretur alvus ad partum usque? Alba Concha ex patritiâ Venetorum gente, adeò ad partum usque alvo adstricta fuit, ut vix septenis diebus, paulum excrementi aridi caprino similis emitteret. (Alexand. Bened. l. 19 c. 36.) Narrat Nicolaus Florentinus mulierem .... Ab ipsâ die quâ concepisset, usque ad 45 diem, per ventrem nihil excrevisse, multùm licet comederit atque biberit; neque medicamentis lenientibus, neque stimulantibus, neque clisteribus quamvis acutis, neque emplastris, neque unctionibus, neque solutivis, neque aliâ ullâ arte alvum solvi potuisse: veluti sana tamen remansit, & debito tandem tempore feliciter peperit. Alvi longè diutiùs etiam suppressæ novimus observationes. In Comment. Edimb. mentio est cujusdam feminæ, nomine Joann. Young, quæ sexdecim annis continu s fuit, alvum non exonerans nisi semel in anno. In Ephem. Germ. puellam tredecim mensibus permansisse legitur, absque fæcum & urinæ excretione.

Quotidiè bibere, & edere, en tertia lex naturalis. Alioqui nullum incrementum, nulla vis in corpore; hincque modò subita, modò lenta macies, quæ tandem in mortem desinit. Lex autem illa, licet primo intuitu severa ac stricta, nonnullas tamen exceptiones patitur. Testibus asitis, omni ferè ævo, quos posteritati mandarunt tum Academica, cum periodica commentaria. Quidam Romæ vixit (inquit Hermol. Barb.) annos quadraginta, solâ aeris inspiratione. Germana mulier triginta annis (juxta Joan. Bocat.) in omnimodâ inediâ vitam traduxit. Puella (referente Pogg. Florent.) vixit asita per duodecim annos. In palatinatûs pago, qui Schmitweiler appellatur, filia viatoris nomine Catharina, septem annos sine ullo cibo & potu exegit. (Asitorum si vis exempla recentiora, plurima apud Bibliot. Med. curios. invenies)

Somnus corpora recreat, redintegrat vires, valetudinem tuetur, pacator est operum, laborum medicus, cui dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colores. Quis his somni dotibus bene pensatis, crederet multos diu vixisse, multosque adhuc vivere absque somno. Refert Seneca, Mecænatem tribus annis integris sine somno permansisse, & tandem ab hoc incommodo liberatum esse, solâ placidâ levique harmoniâ. Mente captus quidam, (Annotat Fern.) menses

quatuordecim insomnes degit. Montuus testatur nobilem se novisse matronam, quæ per triginta quinque annos, insomnis extitit sana & citra noxam. Hodie, quot podagrosi, calculosi, melancolici, somni opem incassùm invocant? Quot immodicis agripniis resistunt nautæ, milites, & meretriculæ?

Nulla lex magis arbitraria quàm accretionis lex videtur. Num vulgatior altitudo humana extat à quatuor pedibus & semis ad quinque pedes & semis? Quot tamen, & quantoperè ab hacce regulâ discedunt individua? Illa staturæ brevitate, & contractione humi (ut ita dicam) serpunt; hæc contrà corporis amplitudine, & proceritate, sydera attingere quasi minitantur. Utriusque generis exempla, quotidiè sub nostris jacent oculis, hodie quidem talibus assueti sunt, & plerumque absque ullâ admiratione percutiuntur. Duo hemisphæria igitur, sedem suam gigas, & nanus habent. Nam omnes in Russiâ non sunt, in Americâ non gigantes omnes.

Homo sibi similem formare debet, en sexta lex naturalis. Hoc ne semper accidat, videamus. Quæ sint partes in utroque sexu, absolutè necessariæ ad copulationem, nemo nescit. Quæ formulæ requisitæ ad reproductionem, quis ignorat? Demùm quænam seminis debeant esse dotes, ut fertilitatem arguat, ecquis inter physicos se scire dubitat? Qui ergo vel organis genitalibus, vel copulationis prodromis, vel seminis diathesi, delinquet, hic haud dubiè, necessarióque legi præsenti deerit. Plurimæ extant observationes, quibus infantes absque mentulâ in lucem prodiisse, constat. Misellus infans (ait Thob. Cucul.) natus est qui... carebat membro virili: cujus loco, foramen, quo urinam profundebat, conspiciebatur; scrotum cum ambobus testiculis, ut in aliis conformatum videbatur. Nonne adsunt pueri, a genesi ipsâ eunuchi? Dicuntur eunuchi (notat Holl.) qui nati sunt sine testiculis. Infantem cui, cum internè, tum externè deerant omnia genitalia organa secuit D. *Mery*. Nonne videntur aliquandò à naturâ anaphrodisiaci? Inter adultos, alii defectu erectionis coïtum celebrare nunquam potuere; alii defectu ejaculationis, seminis fertilis defectu alii. Nunquid reperiuntur nonnullæ mulieres, nativè steriles? Illæ nascuntur atretæ, hæ vero ametræ. (Phænomeni utriusque exempla, apud Germ. ephem. & apud Fab Ab-Aquap. invenies.)

Septima, denique, lex naturalis, mulieri gravidæ, fetum in utero novem mensibus continuis gerere, hunc posteà partibus suprà recensitis ornatum eliminare, præcipit. Naturæ talis est incessus: an verò immutabilis sit, necne? falsum prius, verum posterius, si reverà partus septimestres, ac octimestres adsint, ut unanimi voce clamant medici: si decimo quoque, vel undecimo vel duodecimo graviditatis mense & ultrà parturiant feminæ, ut plurimi celeb. Physici contendunt. Quod autem ad fœtus delineationem spectat, pueri nati sunt manibus, pedibusque destituti Strasburgi puella nata est, quæ digitis tum manuum tum pedum omninò carebat. In civitate eâdem femella quoque nata acephala, & sine ventriculo, sine hepate, sine liene, sine pancreate.... Infantes visi sunt quadrupedes, & quadrimanes. Alii cum tribus testiculis, veluti familia Coleonum illustris; alii cum uno tantum, sicuti Sylla, & Tamerlanus; alii cum pene duplici, ut in cadavere Bononiæ publicè dissecto, observatum est. (Cæterùm de hac re Scient. Reg. Acad. scripta evolve, & similia phænomena nancisceris.)

I V.

QUID ex tantâ rerum farragine censeamus, ex dictis suprà, facilè intellectu. Homo non respirans, & vivens, homo nil manducans, & vivens, homo non dormiens... mulier atreta, mulier à septimo, ad duodecimum graviditatis mensem, pariens.... fetus acephalus, fetus quadrupes & quadrimanis, fetus absque mentulâ &c. &c. sunt à lege generali declinationes, varietates, & phænomena naturæ. Hæc individua peculiaria, ordinem naturæ universum æquè servant, ac illa generalia, quæ spiritum trahunt, quæ comedunt, quæ excernunt,

quæ dormiunt... Ratio est quod individuum utrumque, naturæ sit opus, quod legem & mandatum, ab ipsâ data exequitur. Ratio, quod natura non agat, non jubeat, nisi juxta rerum *relationes*. Ratio, quod corpora omnia naturalia, non effingantur, non vivant, non crescant, nisi positis suâ delineatione, suâque conformatione. Hæ porro *relationes*, hæc adjuncta rerum, illa diversa delineatio, illa propria conformatio leges insuetas, singularesve naturæ, efformant, quæ simplices, constantes, immutabilesque pariter sunt, ac consuetæ, seu generales leges. Hinc summum naturæ ordinem, ordinem universum, custodire diximus.

V.

JUXTA nos, idcircò sequitur in humanâ specie, naturæ variationes, nec errores, nec confusa, inordinataque producta, nec res non-naturales, nec status præter-naturales, nec effectus naturam superantes, nec miranda stupendaque, nec prodigia, nec monstra, haberi posse. Illæ, solum modò de regulis naturæ communibus sunt exceptiones, quibuscum integrè nondum assuefacti sumus, quarumque principia, nobis nondum sunt perfectè cognita, temporis inopiâ, experientiæque defectu. Illæ, naturæ sunt phænomena, semper simplicis, constantis, atque consimilis, quorum autem commodum, simul ac incommodum, individua duntaxat, illa ferentia, respiciunt. Denique, variationes illæ, à generalibus Physicis legibus sunt declinationes, ab aliis legibus dispositæ, quæ particulares appellantur.

Ergò generalibus à physicis legibus, quibus humanum ordinari corpus observatum est; natura quandòque discedere valet.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Theophilus DE BORDEU, *Eques Nosocomii Regii & Militaris Baregiensis Medicus designatus.*

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE, *actûs Præses.*

M. Josephus-Maria LASSONNE, *Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Reginæ dum viveret Medicus Primarius, Censor Regius & Regiæ Scientiarum Academiæ, necnon Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius.*

M. Petrus-Abrahamus PAJON DE MONCETS, *Eques, Societatis Litterariæ Catalaunensis Socius.*

M. Simon-Antonius BRINGAUD.

M. Julianus BUSSON, *Nosocomiorum Regiorum in Britannia Inspector.*

M. Claudius-Thomas Guillelmus GUILBERT DE PREVAL, *rei Herbariæ Professor designatus, Christiani VII. Daniæ & Norvegiæ Regis Consiliarius Medicus, à Medicis Consiliis, necnon Rerum Medicarum à Relatione.*

M. Claudius-Josephus GENTIL, *Militarium Nosocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.*

M. Petrus BERCHER, *Facultatis Ex-Decanus & Academiæ Censor, utriusque Pharmaciæ Professor designatus, Regiæ Hispaniarum Infantis dum viveret, necnon Regii Exercitûs ad infimum Rhenum in ultimo Bello Medicus Primarius.*

Proponebat Parisiis TUSSANUS GUINDANT, ex Virzione apud Bituricenses, Doctor Medicus Monspeliensis, Nosocomii Aureliæ Antiquus Medicus, Collegii Medicorum, Regiæque Societatis Rei Agrariæ ejusdem civitatis Socius, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1771. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univers. & Facul. Med. Typographi, 1771.